



UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

CLASSICAL TRIPOS Part IB

Friday 10 June 2005 9 to 12

Paper 3

PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN AUTHORS

*Answer **all** the questions.*

*Use a separate booklet for **each** Section.*

The Examiners will give equal weight to each Section.

*Write your **number** (**not your name**) on the cover-sheet of **each** Section booklet.*

Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave disadvantage.

STATIONERY REQUIREMENTS

8 Page Booklet x 2

Rough Work Pads x 1

SPECIAL REQUIREMENTS

None

**You may not start to read the questions
printed on the subsequent pages of this
question paper until instructed that you
may do so by the Invigilator**

SECTION A

Translate:

A1 *Cicero compares himself with C. Marius.*

Vidi ego fortissimum uirum, municipem meum, C. Marium — quoniam nobis quasi aliqua fatali necessitate non solum cum iis, qui haec delere uoluissent, sed etiam cum fortuna belligerandum fuit — eum tamen uidi, cum esset summa senectute, non modo non infracto animo propter magnitudinem calamitatis, sed confirmato atque renouato. quem egomet dicere audiui tum se fuisse miserum cum careret patria quam obsidione liberauisset, cum sua bona possideri ab inimicis ac diripi audiret, cum adulescentem filium uideret eiusdem socium calamitatis, cum in paludibus demersus concursu ac misericordia Minturnensium corpus ac uitam suam conseruaret, cum parua nauicula peruectus in Africam, quibus regna ipse dederat, ad eos inops supplexque uenisset: reciperata uero sua dignitate se non commissurum ut, cum ea quae amiserat sibi restituta essent, uirtutem animi non haberet quam numquam perdidisset. sed hoc inter me atque illum interest, quod ille, qua re plurimum potuit, ea ipsa re inimicos suos ultus est, armis, ego qua consueui utar oratione, quoniam illi arti in bello ac seditione locus est, huic in pace atque otio.

CICERO *Post Reditum ad Quirites* 19-20

haec (line 2): here = *society, the state*

A2 *The Samnites recruit an elite military unit.*

Sacrificio perfecto per uiatorem imperator acciri iubebat nobilissimum quemque genere factisque; singuli introducebantur. erat cum alius apparatus sacri qui perfundere religione animum posset, tum in loco circa omni contecto arae in medio uictimaeque circa caesae et circumstantes centuriones strictis gladiis. admouebatur altaribus magis ut uictima quam ut sacri particeps adigebaturque iure iurando quae uisa auditaque in eo loco essent non enuntiaturum. iurare cogebant diro quodam carmine, in exsecrationem capitis familiaeque et stirpis composito, nisi isset in proelium quo imperatores duxissent et si aut ipse ex acie fugisset aut si quem fugientem uidisset non extemplo occidisset. id primo quidam abnuentes iuratos se obruncati circa altaria sunt; iacentes deinde inter stragem uictimarum documento ceteris fuere ne abnuerent. primoribus Samnitium ea detestatione obstrictis, decem nominatis ab imperatore, eis dictum, ut uir uirum legerent donec sedecim milium numerum confecissent. ea legio linteata ab integumento consaepi, in quo sacrata nobilitas erat, appellata est; his arma insignia data et cristatae galeae, ut inter ceteros eminent.

LIVY X 38.7-12

linteatus: *covered in linen*

consaepum: *fence, enclosure*

detestatio, -onis, f.: *pact*

SECTION B

Translate:

B1 *Micio explains how his views on how to educate children differ from those of his brother, Demea.*

pudore et liberalitate liberos
 retinere satius esse credo quam metu.
 haec fratri mecum non conueniunt neque placent.
 uenit ad me saepe clamans 'quid agis, Micio?
 cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
 cur potat? cur tu his rebus sumptum suggeris?
 uestitu nimio indulges? nimium ineptus es.'
 nimium ipsest durus praeter aequumque et bonum,
 et errat longe mea quidem sententia,
 qui imperium credat grauius esse aut stabilius
 ui quod fit, quam illud quod amicitia adiungitur.
 mea sic est ratio et sic animum induco meum:
 malo coactus qui suum officium facit,
 dum id rescitum iri credit, tantisper cauet:
 si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.
 ille quem beneficio adiungas ex animo facit,
 studet par referre, praesens absensque idem erit.

TERENCE *Adelphoe* 57-73

rescisco: *get to know of*

[TURN OVER

B2 *Ovid remembers the night before he left Rome for exile*

Cum subit illius tristissima noctis imago,
 quae mihi supremum tempus in urbe fuit,
 cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
 labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
 iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar
 finibus extremae iusserat Ausoniae.
 nec spatium nec mens fuerat satis apta parandi:
 torpuerant longa pectora nostra mora.
 non mihi seruorum, comitis non cura legendi,
 non aptae profugo uestis opisue fuit.
 non aliter stupui, quam qui Iouis ignibus ictus
 uiuit et est uitae nescius ipse suae.
 ut tamen hanc animi nubem dolor ipse remouit,
 et tandem sensus conualuere mei,
 alloquor extremum maestos abiturus amicos,
 qui modo de multis unus et alter erat.
 uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
 imbre per indignas usque cadente genas.
 nata procul Libycis aberat diuersa sub oris,
 nec poterat fati certior esse mei.

OVID *Tristia* I 3.1-20

- B3** **Either** (a) Ecquid te mediis cessantem, Cynthia, Baiis,
 qua iacet Herculeis semita litoribus,
 et modo Thesproti mirantem subdita regno
 proxima Misenis aequora nobilibus,
 nostri cura subit memores a! ducere noctes?
 ecquis in extremo restat amore locus?
 an te nescio quis simulatis ignibus hostis
 sustulit e nostris, Cynthia, carminibus,
 ut solet amoto labi custode puella,
 perfida communis nec meminisse deos?
 atque utinam mage te remis confisa minutis
 paruula Lucrina cumba moretur aqua,
 aut teneat clausam tenui Teuthrantis in unda
 alternae facilis cedere lympha manu,
 quam uacet alterius blandos audire susurros
 molliter in tacito litore compositam!
 non quia perspecta non es mihi cognita fama,
 sed quod in hac omnis parte timetur amor.
 ignoscas igitur, si quid tibi triste libelli
 attulerint nostri: culpa timoris erit.

PROPERTIUS I 11.1-20

- Or** (b) Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori;
 hic nemus; hic ipso tecum consumerer aevo.
 nunc insanus amor duri me Martis in armis
 tela inter media atque aduersos detinet hostis.
 tu procul a patria (nec sit mihi credere tantum)
 Alpinas, a, dura, niues et frigora Rheni
 me sine sola uides. a, te ne frigora laedant!
 a, tibi ne teneras glacies secet aspera plantas!
 ibo et Chalcidico quae sunt mihi condita uersu
 carmina pastoris Siculi modulabor auena.
 certum est in siluis inter spelaea ferarum
 malle pati tenerisque meos incidere amores
 arboribus: crescent illae, crescetis, amores.
 interea mixtis lustrabo Maenala Nymphis,
 aut acris uenabor apros; non me ulla uetabunt
 frigora Parthenios canibus circumdare saltus.
 iam mihi per rupes uideor lucosque sonantis
 ire; libet Partho torquere Cydonia cornu
 spicula; tamquam haec sit nostri medicina furoris,
 aut deus ille malis hominum mitescere discat!

VIRGIL *Eclogue* 10.42-61

- Or** (c)

Obligati tam grandi beneficio cum intrassemus triclinium, occurrit nobis ille idem seruus, pro quo rogaueramus, et stupentibus spississima basia impegit gratias agens humanitati nostrae. "ad summam, statim scietis," ait, "cui dederitis beneficium. uinum dominicum ministratoris gratia est." tandem ergo discubuimus, pueris Alexandrinis aquam in manus niuatam infundentibus, aliisque insequentibus ad pedes ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. ac ne in hoc quidem tam molesto tacebant officio, sed obiter cantabant. ego experiri uolui an tota familia cantaret, itaque potionem poposci. paratissimus puer non minus me acido cantico exceptit, et quisquis aliquid rogatus erat ut daret. pantomimi chorum, non patris familiae triclinium crederes. allata est tamen gustatio ualde lauta; nam iam omnes discubuerant praeter ipsum Trimalchionem, cui locus nouo more primus seruabatur.

PETRONIUS *Satyricon* 31

END OF PAPER